PHILOSOPHIA ERIGENAE EX IPSIUS PRINCIPIIS DELINEATA

Adolf Torstrik







Hanc philosophiae Erigeneae expositionem ita exordiar, ut eorum virorum, qui ante me de eadem re scripserunt, brevem faciam dijudicationem.

Danus quidam, P. Hjort, libellum nostra lingua conscriptum edidit [1]), de quo tamen tacere praestat. Praeter mediocrem enim librorum de divisione naturae epitomen nihil ferme nisi meras nugas continet.

Staudenmaier [2]) quum de nostro philosopho dissereret, magnam quidem eruditionem probavit, fateor tamen me perpauca invenisse, quae ad philosophi nostri placita cogitatione amplectenda inservire possint.

---

1) Johann Scotus Erigena oder von dem Ursprung einer christlichen Philosophie und ihrem heiligen Berufe. Von Dr. Peder Hjort. Kopenhagen 1823.

2) Staudenmaier J. Sc. Er. und die Wissenschaft seiner Zeit. Frankf. 1824. Bd. I.

1*

Fronmueller [1]) et Mylius [2]) epitomas praebuere ad mali doctrinam spectantes, prior sicubi relatorum dijudicationem instituit, non immunis opinionum ante conceptarum et quas e dogmatis hodiernis petierit. Taillandier [3]), Francogallus, stilo venusto et vitam Erigenae et doctrinam adumbravit; neque eum e germanica philosophia utilitatem quantulamcunque duxisse infitias ibimus eademque usum esse ad doctrinam Erigenae illustrandam. Sed, quae offert, splendidiora sunt maximam partem quam veriora: adde quod nimis suis in philosophia adversariis clandestinam pugnam movere studet, e solemni quidem Gallis, sed haud laudabili more. Haec omnia non ita magni sunt momenti. Longe superat liber, quem Adolphus Helfferich de doctrina christiana mystica edidit [4]). Sagacitate enim speculativa pollet. Utinam in quibusdam majore quam fecit diligentia usus esset! neve satis habuisset Erigenae placita referre eoque facto quid ipse de iis sentiret exponere! sed ita potius omnia condidisset, ut ex uno principio manare appareret! At quum vota facere nihil juvet, quod ille omisit, ipse pro viribus exsequi contendam.

---

1) Fronmüller, die Lehre des J. Sc. Er. vom Wesen des Bösen. Tübinger Zeitschrift für Theologie. Jahrg. 1830. Heft 1 und 2.

2) Scotus Erigena part. I. Quid Sc. Er. de malo docuerit. Scr. Ern. Mylius. Halae 1843.

3) Scot Erigène et la philosophie scholastique. p. M. S. R. Taillandier. Strasbourg et Paris 1843.

Quae Ferd. Christ. a Baur, vir perspicax et rara praeditus eruditione, in recentissimo quem de trinitate scripsit libro ad doctrinam Erigenae collustrandam profecerit, doleo me id ignorare, quum ejus operis secunda pars in bibliotheca publica non asservetur. Si tamen ex alio ejusdem auctoris libro pridem edito, qui de redemtione est, conjecturam facere licet, vereor ne docetismus, quem vocant, Erigenae virum eximium ad iniquius judicium abripuerit.

De scopo, quem in hoc opusculo conscribendo sequar, secundum quem etiam a lectore considerari optaverim, haec potissime dicenda videntur. Fieri non potest, ut Erigenae systema ex iis derivem et deducam, quae eum tempore praecesserunt; hoc enim eorum est, qui historiam philosophiae quasi seriem quandam contexunt atque ita agunt, ut idea, quae per omnes philosophos quasi transcurrendo sese patefacit, conspicua reddatur. Omnia igitur, quae historiam philosophiae universalem attinent, ego valere jubebo. Satis equidem habebo, missis omnibus opinionibus ante conceptis insigne hoc, de quo agimus, systema ex sese ipso illustrare. Ne tamen forte credas me epitomen aliquam secundum regulas nescio quas effecturum. Inde enim tum magnam utilitatem posse derivari non puto, tum nonnullae ejusmodi epitomae jam exstant. Nos id conabimur, quod Helfferich nobis praestandum reliquit, ut systema Erigenae e suo ipsius principio enucleemus utque omnia, quae nesciente auctore ex principio quasi profluant et dogmatum speciem prae se ferant, nos ea inde

explicemus et expediamus. Non narrabo: haec dixit Erigena et illa — et postea quid ipse de iis sentiam in medium feram, sed quaecunque apud Erigenam reperiuntur, ea per ejus ipsius principium transire jubebo.

Ut tamen quae dicturus fui melius intelligerentur, necesse duxi eam ideam, cui omnia mediae aetatis systemata tanquam fundamento superstructa sunt, obiter et per abstractam tantum cogitationem attingere. Haec est idea absoluti spiritus, i. e. spiritus simpliciter universalis, quam antiquitas tanquam ultimum et generosissimum tulit fructum. Ex ejus interitu crevit, quae novam inchoaret aetatem. Haec spiritus ab omni cum natura concretione liberi et absoluti idea primam nacta est formam et ἔκτυπον in philosophia quae neoplatonica vulgo appellatur. Quae tamen philosophia statim nascendo ut marceret necesse erat. Quum enim philosophia sit eorum, quae sunt, speculativa cognitio, realitas autem, objectum philosophiae, quae tunc temporis vigebat, non ex hac, quam neoplatonici sequebantur, idea, sed ex illa, quae antiquitatis propria erat, condita esset, philosophi neoplatonici, ut ideam absolutam attingerent, ab omni reali mentem avocare et abstrahere debebant. Ita haec philosophia statim nascens quasi praemortua erat. Hoc stabile, de quo loquor, realitatis fundamentum idea absoluti per christianam religionem nanciscitur; haec religio prima ejus objectivitas est. In Christo Deus incognitus manifestus fit, et Christus ipse haec ejus manifestatio esset. Ille est θεάνθρωπος, mediator

humani generis, quod a principio aberraverat, regnum ejus est regnum spiritus et veritatis. Quod quondam in illo factum, quotidie fit in corde fidelium, qui in illo et cum illo nascuntur, patiuntur, moriuntur, deificantur. Religio dehinc in aeternum fons est simplex, sed infinite foecundus, e quo tum voluntas et actio, tum cognitio et sapientia novis semper et uberioribus profluunt undis. Veritas in corde stabilita philosophiae quoque aeternam promittit vitam. „Fides praecedit intellectum": hoc mediae aetatis symbolum non potest impugnari nisi ab his, qui nec quid fides sit bene noverunt, nec quid intellectus. Philosophia, Dei per cogitationem cognitio, fidem sibi ipsa semper antecedere jubet, eamque et in animo philophantis et in realitate objectiva. Ea solum hominis cum Deo unio, quae corde et amore quasi praecipitur, cognitionem veritatis ex se parere potest, nec potest Deum nosse nisi divinus homo; simili modo quod objectivitatem spectat, ille tantum realitatis mundus, qui huic Dei cum homine unionis ideae superstruitur, tanquam divinus et rationalis cognosci potest. Haec autem ideae absolutae realitas non jam alia est, quam ea quam per fidem in corde fidelium sibi praeparavit. Hic est mundus, non ille quem videmus, regna, artes, natura, haec potius omnia diaboli sunt. Qua de causa philosophia mediae aetatis praecipue circa religionem versatur; historia sancta et dogmata fidei sunt objecta quae philosophia speculatur; per omnes eorum partes movetur et inexhaustam

conscientiae Christianae profunditatem ad cogitationem traducit.

Sed quomodo, sed cur venitur ad philosophiam? Cur non acquiescit idea absoluta ea objectivitate, quam per religionem nacta est? — Haec solvenda restat quaestio.

Spiritus absolutus per definitionem illud universale est, quod momenta sua unitate complectitur. Est autem in universalitate notio communitatis, et hoc quidem illud in ea momentum est, per quod empirice realis fit. Ita in religione apparet, in qua multis communis est. Idea, quoad cogitatio pura est, hanc empiricam realitatem semper sibi tanquam initium condit, quam progressu suo tollit.

Idem haud scio an luculentius hoc modo dici possit. Universale e parte apparitionis *omnibus* est; omnes autem *singuli*. Universale autem pro singulo quoad singulus, — i. e. pro eo in quantum non jam cogitans propriam suam universalitatem adeptus est, — in corde solum ejus esse potest, i. e. in simplice immedietate conscientiae. Haec est definitio religionis, quae certitudo immediata est. Certitudo autem, quia scientia, e definitione mediatio, et quod ut immediata definitur, hoc nihil potest dicere quam mediationem extra se habere, non in se et per se ipsam mediatam esse. Ideo religio necessario positiva est, i. e. ab auctoritate incipit, et forma ejus fides est, h. e. ea scientia, cujus mediatio extra ipsam posita est, quae non per se, sed per aliud mediata est. Ita forma religionis differt a contento sive objecto, absolutam dico

ideam, qua e definitione per se mediatio est. Id quod vel eo apparet, quod mediatio absoluti secum quasi immediata sit, i. e. adsit, describitur, quod in trinitate fit. Religio itaque contradictio posita sive absoluta differentia est. Quum vero ipsum sit absolutum, quod in religione se a se ipsam discindit, hanc discrepantiam ipsum tollit, in cogitatione pura, h. e. philosophia secum coeundo et se sibi adunando. Ita absolutum propriam et suam formam recuperat. Hoc et in Christiana necesse est fiat religione et in Judaica et Muhametana, quae item circa spiritum absolutum versantur. Tenet autem Christiana religio medium inter utramque locum, ita, ut quae in illis disjecta sint notionis momenta, haec contineat, de qua re alio loco disputandum est. Igitur Christiana religio veram et quae mundum regat philosophiam peperit, quae in apparitione historica per seriem quandam systematum transcurreret necesse fuit. Nunc nos continuo investigabimus, quid in traducendis ad cogitationem dogmatis noni seculi philosophus, Johannes Scotus, profecerit.

Priusquam de divisione materiae dicamus, pauca de principio philosophiae ejusque indole praelibanda videntur.

Est autem ea philosophia vere speculativa, h. e. nihil aliud sequitur nisi veritatem. Veritas autem quum sit essendi et cogitandi identitas, necesse est, eam hac veritatis definitione et conscientia niti.

Res ita se habet. Frequenter Erigena opinionem eam profitetur, esse et cogitare unum

esse. Legimus in libro de divisione naturae secundo, capitulo vicesimo (et sexcenties) hanc sententiam ab antecedente traditam philosophia: „cognitio eorum quae sunt ea quae sunt est." Et conversim (IV, 7): „res intellectus sui sunt." (Locus quum vitiose excussus sit, veram lectionem ita restituo „ubi enim intelliguntur, ibi sunt; imo vero intellectus sui sunt.")

Igitur quum philosophia Erigenae veritatis (primae absoluti definitionis) notione fulciatur, jure nostro eam ut appareat qualis sit, ex idea veri hodierna disponemus.

Objectum disquisitionis, philosophicum Erigenae systema, singulare est. De particulari, h. e. de aetatis, qua natum est, genio et indole, jamjam diximus. Restat, ut universalem ideae divisionem, qualem hodierna invenit philosophia, proponamus.

I. Idea qua in se est, sive notio ideae.
   1. Idea in momento universalis considerata, sive Deus pater.
   2. Idea in se diremta, notio trinitatis, sive Deus filius.
   3. Idea in momento singularis posita, sive Deus spiritus.

II. Idea in momento realitatis considerata.
   1. Mundus.
   2. Christus.

III. Idea qua unio notionis et realitatis est, sive resolutio mundi in Deum.

I.

IDEA QUA IN SE EST, SIVE ABSOLUTUM PURE COGITATUM.

Idea in se primum est unitas indiscreta, Deus ante creationem, Deus ignotus. Secundo unitas ita est, ut discrimen contineat quidem, non tamen jam ex se produxerit sibique repraesentaverit: momentum discretionis evanescens, in unitate comprehensum et detentum. Tertio idea, quum in hoc sibi contradicat, quod in se discreta sit, haec discretio vero realis facta non sit, mundum discretum realiter ex se dimittit, ita tamen ut ipsa se in illo conservet.

Haec notionis momenta apud Erigenam inveniri jam demonstrandum est simulque si qua in iis peculiaria exhibuit enarranda.

1. Idea in se Deus ignotus est. Sciri non potest quid sit Deus, sed hoc tantum, eum esse („non quid, sed quia est").

Identitatem essendi et cogitandi esse conditionem et praesuppositionem philosophiae Erigeneae supra demonstratum est. Idea abstracta, sic ut initio necessarium est, cogitatio est pura, haec autem cogitatio est puri essendi. Esse purum indeterminatum est, neque aliud de eo dici potest quam esse.

Deum non esse aliquid definitum, sed ipsum esse purum, hoc Erigena ut demonstret categoriis utitur Aristotelicis, quas, quum determinationes essendi reddant, notioni Dei non convenire multa cum sagacitate ante oculos posuit. Fecit hoc inde a 16. capitulo libri I. de divisione naturae. Attamen quum Augustinus, Boëthius, Claudianus Mamertus, alii jam ante illum hac demonstratione usi sint, sufficiet principalem sententiam attigisse, quae quasi filum universam coercet expositionem.

Expressa est cap. 16, ubi de differentia theologiae affirmativae a negativa disserit; prima enim, καταφατική, unamquamque definitionem de Deo praedicat, quatenus ille causa ejus et in universum cujusque determinationis est; altera, quam ἀποφατικὴν vocat, easdem tollit de Deo, quatenus omnem determinationem transcendit. Inde sequitur verissima quae de Deo valeant praedicamenta esse talia: bonus est, bonus non est, plusquam bonus igitur, eodemque modo ὑπεραλήθης, ὑπερούσιος et cetera. Talia quidem vocabula latentes esse negationes ne ipse quidem Erigena infitias it.

Contraria quaeque (I, 15) finita esse dicit, „ita enim semper sibi opposita esse, ut simul et inchoare incipiant et esse simul desinant." Hinc intelligi licet, cur theologiae καταφατικῇ opponat ἀποφατικήν: affirmari aliquid de Deo ideo non potest, quia definitum quidque finitum, contrarii capax, et ad significandum absolutum parum valet. Uti tamen iis licebit ita, ut per translationem ea de Deo praedicentur, quorum

auctor est. — Certe praeclara naturae absoluti cognitio est, si quis non nititur eam praedicatis adaequare. Etiam Erigena hac cognitione acquiescit, nec ita ut Dionysius taedium lectori movet usque alia de Deo ponendo nomina eaque usque adimenda.

Si autem e necessitate notione Dei fulta ita agit Erigena, ut initio omnem Dei determinationem tollat, quo simplex paret fundamentum, ex quo plenitudinem eliciat, haud profecto mirandum erit, quod eadem necessitate ab ignoto Deo ea quoque attributa semovet, quae per religionem Christianam in eum cadunt. Si igitur categoriae Aristotelicae de Deo non valent, idem dicendum de trinitate. „Haec religiosae fidei symbolica verba (I, 14) a theologis et reperta et tradita sunt . . . . ut de re ineffabili et incomprehensibili religiosi piorum animorum motus aliquid cogitare et praedicare possent." — Aliud est de Deo aperto et manifesto, de quo trinitas omnino valet. Nec suo jure egerunt, qui inde contradictionis concivium in Erigenam contulere.

Neque magis (I, 65) amare, se movere, neque quidquam verbum activum passivumve sensu proprio de Deo praedicabitur. Omnia enim verba notione agendi aut patiendi comprehenduntur, quae accidentia sunt. „Deo autem nec accidit quidquam nec alterius accidens est, si minus, mutabilitatis vel omnino alterius capax esset." Itaque (I, 70) Deus nec amor est, nec (I, 72) se movet; quî Deus se moveat, quum omnia in se comprehendat! Nec creat Deus (I, 74), si hoc vocabulo actus quidam temporalis, qui di-

vinae substantiae accidat, intelligatur. Atque ita primo libro conclusionem imponit hanc: „non aliud Deo esse et agere et facere, sed unum atque id ipsum ei est esse et agere et facere, non enim recipit simplex natura intellectum substantiae et accidentium."

Esse autem Dei secundum Erigenam *nihil* est; id quod continuo considerabimus.

Statim initio libri primi (I, 3), ita definit auctor: „omnia, quae corporeo sensui vel intelligentiae perceptioni succumbant, posse rationabiliter dici esse; ea vero, quae per excellentiam suae naturae non solum omnem sensum, sed etiam intellectum et rationem fugiant, jure videri non esse." — Postea ita pergit: hoc secundo positum in Deo maxime videri; quem omnium essentiam dicit solumque eum vere esse. — Apparet igitur Erigenam vere esse et non esse idem posuisse.

Omne esse (I, 41) aliquo modo est, quia loco et tempore est; quodsi dominum esse praedicaremus, eum in orbem finite essendi detraheremus. Nihil potius est Deus (III, 19); eo nomine theologia ineffabilem et incomprehensibilem divinae naturae inaccessibilemque claritatem omnibus intellectibus . . . incognitam significat, quae, *dum per se ipsam cogitatur* neque est neque erat neque erit. — Proinde claritas illa divina etiam tenebrositas appellatur, id quod Erigena saepius repetit; neque hoc injuria, quum in esse puro et omnino indeterminato nec plus nec minus conspiciatur quam in nihilo. Nihil illud non est (III, 22) privationis nec absentiae;

hoc enim modo jam definitum esset per id quod eo negatur; sed „universalis negatio", qua Deus „super omne quod dicitur et intelligitur, exaltatur."

Si autem ideam divinam in se, qua abstracta universalitas et infinitas est, cogitamus, quaestio oritur num ita Deus se infinitum sciat necne.

Disputatio ea inde a cap. 28 libri II. legitur. Pauca adscribere satis erit. Si quaerimus: quid hoc est? — tunc definitionem rei cognoscere volumus. Deus autem quum sit omnino infinitus et incircumscriptus, quaeri nequit quid sit. Porro si Deus a nobis definiri nequit, ne a se ipso quidem potest, quia, si minus, non universaliter infinitus esset. Ignorantiam igitur, si non potest definire quid subsistat, in Deum cadere negari non potest, si notionem infinitatis Dei tollere nolumus.

His verbis patet a spiritu absoluto finitam tantum scientiam auferri, non conscientiam sui in universum, quam Erigena expressis verbis ei vindicat.

Si enim, dicit l. l., asseveramus Deum ignorare quid sit, idem est ac si dicamus: „Deus nescit quid ipse sit h. e. nescit se quid esse, quum cognoscat se nullum eorum, quae in aliquo cognoscuntur et de quibus potest dici vel intelligi, quid sint, omnino esse . . . . Ipsa itaque ignorantia summa ac vera est sapientia . . . . Tale autem est, quod dicimus: veluti siquis nostrum de se ipso dicat: lapidem me esse non intelligo, hoc est, lapidem omnino me non esse intelligo."

Si haec resolutio quaestionis illius, quam nos hodie dicimus de personalitate esse Dei, est, simplex valde et lepida. Ponit ego, quod se absolutum scit; quî hoc esse possit, nihil curat. Sed revera de personalitate Dei cujusdam, qui mundo e contrario stet, omnino sermo non est, sed simpliciter natura spiritus definitur, cujus notio est terminum sui tollere atque ita infinitam conscientiam esse.

Deus se absolutam substantiam exhibuit, esse infinitum, notioni adaequatum, h. e. purum, cum nihilo idem. Limpitudo est per omnia sibi similis sive scientia infinita. Nunc altera oritur quaestio, in quantum et quo modo idea in se differens posita sit. De notione differentiae divinae agitur, sive de discrimine in unitate contento, non jam ad diremtionem Dei et mundi provecto.

Solita est, sed falsa hujus partis systematis descriptio, ex qua incomprehensibilitas Dei modo adumbrata Deum patrem solum spectare affirmatur. Imo totam attinet deitatem, quoad in se ens spectatur. Quum momenta notionis divinae essentialiter unum sint, hoc vel per se clarum. Ne tamen cui dubitare permittatur, locum adscribimus, quo totidem verbis cunctae deitatis personae tanquam infinitae et incomprensibiles designantur. Legitur II, 28: „incapabile enim secundum essentiam et inintelligibile secundum virtutem et secundum operationem incircumscriptum." Hoc quidem verum est in opinione, de qua supra verba fecimus, ubi Deus tanquam infinitus et incapabilis describatur, ibi totum ideae

absolutae in suo in-se-esse, i. e. in Deo patre quasi defigi.

2. Deus idea in se discreta, sive Deus unus et trinus.

Profunda illa et concreta philosophia, quam consideramus, ideam divinam non hac abstractione, modo delineata, quae philosophis populorum orientalium solemnis est, absorptam derelinquit. Lucem meram et caliginem meram in circulum colorum vivorum explicat et splendidorum.

Deus est triunus: claritas ejus aeterna tres illas unius ideae definitiones ex se gignit, ita tamen ut in puritate notionis cogitatae quasi evanescentes retineantur. Primum igitur totum ideae in se differentis, i. e. triunitatem, expediemus, deinde rursus momentum differentiae qua differentia, i. e. deum filium accuratius perscrutabimur.

a. Notio triunitatis.

Triunum praedicantes Deum non negamus quod antea posuimus: eum indeterminatum ac proinde incomprehensibilem esse. Infinitas enim Dei jam est definitio. Infinitas Dei abscedit ab eo, quod in infinito negatur; ita Dei infinitas primum in trinitate momentum. Est autem determinati, i. e. negativi negatio eaque posita. Haec est definitio *essentiae*.

Ita universale abstractum, finiti negatio ex se pellit finitum tanquam alterum suum. Qui facit, potest facere, et posse est mediatio facientis et facti. Haec potentia et una est cum Deo ab eoque diversa. Gignit pater filium, qui mediator est et *potentia* et *virtus* patris.

Haec autem δύναμις non esset nisi perficeret cujus potentia est. Perfectionis autem principium sive notio spiritus est sanctus, qui et operatio siva ἐνέργεια dicitur.

Si Erigena his nominibus patris et filii utitur e familia hominum depromtis, certe non majoris aestimat quam quo digna sunt. Nomina dicit ab hominibus inventa et tradita ad eorum maxime utilitatem, qui veritatem per se inspicere non valerent, ut vel hi quodammodo veritatis participes fierent (v. c. I, 14. 16. 69 alibi). Profitetur tamen ea a notione non prorsus esse destituta: I, 14: „neque hoc absque spiritualis intelligentiae contuitu factum est." In talibus nominibus habitudo negari non potest; adjungit tamen, si ad puram respicias deitatis ideam, habitudinem in Deum non cadere (I, 18 et crebro).

Illas contra definitiones, e notione depromtas, summa cum diligentia per totum systema retinet. Sunt autem, ut notum est, a Dionysio Areopagita primo positae.

Deus in diversis appareat definitionibus necesse esse Erigena multis locis affirmat, verbi causa I, 14: „ipsam unitatem non singularitate quadam et sterilitate, sed mirabili fertilique multiplicitate contuentes tres substantias unitatis intellexerunt." Causam non dixit. Nec cur triplici modo Deus se manifestet declaravit. Recte egit. Non enim potest dici cur tribus, si ad numerum attendas, sed e necessitate notionum, quae ternario numero apparent, circulum quendam ambientium et totum efficientium hoc colligi potest. De numero verum dixit III, 22: „trinitas

non est unum et unum et unum, sed simplex et individuum unum in tribus inseparabilibus substantiis, et illud unum multiplex virtute est, non numero, et non aliquid unum est, sed universaliter et infinite unum."

Necessitatem autem trium harum notionum, et quod totalitatem ideae exprimant, paucis illustrabimus.

Notiones essentiae, virtutis et operationis, quibus Erigena ideam absolutam definit, in illo orbe comprehenduntur, quo totalitas essentiae ipsius describitur. Essentia in universum sive reflexio est definitio ideae mediae aetatis propria: quod tamen demonstrandum in alium locum reponimus. Nunc nos in considerandis Erigenae notionibus, quas modo proposuimus, acquiescimus.

Quum Erigena Deum essentiam esse pronunciaverit, ipsum Christianismi principium proclamavit. Ea quae sunt sive immedietas in se veritatem non habet; recedit in essentiam, Deus essentia ejus et veritas est. In Deo hac notione posita omnis exstincta est differentia quae aliquo-modo-essendi propria est; Deus perspicuitas est et limpitudo et secum identitas. Itaque cunctae de Deo ignoto sive qua in se est definitiones, quas supra memoravimus, recurrunt, ubi Erigena de essentia divina verba facit.

Evanuit et effugit mundus hic multiplex aliquo-modo-essendi, sed quo effugit? — Recipiens se in simplicem sui identitatem, essentiam dico, sustulit se ipsum sive negavit se ipsum, et haec negatio ipsa est essentia. Ita tamen nihil aliud manifestatum est, quam quod per defini-

tionem aliquo-modo-esse est, scilicet negativum et finitum esse. Essentia autem contra immedietatem sese reflectens hanc ex se ejicit; ita aliquo-modo-esse est species sive apparere. Sequitur hoc secundum in idea absoluti esse momentum. Quod tamen fieri nequit. Est enim Deus e definitione in-se-reflexio, aliquo-modo-esse negativum autem sive species est reflexio-in-aliud. Igitur quum species necessarium notionis Dei momentum, species autem reflexio-in-aliud sit, quod Deus, reflexio-in-se, esse non potest: sequitur, necesse esse species sive reflexio-in-aliud reflectatur in se. Reflexio-in-aliud autem in se reflexa notio sui est; sive non esse suum, sed possibilitas sive potentia sui est. Hinc secundum Dei momentum Erigena potentiam esse dixit sive *δύναμιν*.

Videmus Erigenam aliud-esse recepisse quidem in ideam absoluti, sed tanquam in se reflexum et secum idem. Si ad identitatem attendimus, idem est cum patre filius; aliud-esse secum idem definitio essentiae est. Si contra ad differentiam patris a filio animum advertimus in potentia positum est aliud-esse, non positum in essentia. Positum vero est tanquam sublatum simul et servatum: est enim realis ejus potentia sive virtus. Pater in filio gignit quod ipse in se est; filius enim est pater manifestatus. Verbum est sive *λόγος*, quo se ipsum pronunciat pater. Sapientia est patris, in qua et per quam pater, qui nihil est et omnia et super nihil et esse exaltatus, plenitudinem potentiae suae cognoscit.

Essentia apparet, et apparitio est essentialis apparitio. Haec est definitio realitatis. Tertium hoc est et ultimum in circulo reflexionis momentum; est enim amborum identitas. Realitatem in ideam absolutam recipi a notione ipsa postulatur; qua tamen realitas est, fieri non potest. Quamquam enim per essentiam mediata est, jam qua est, realitas mediationem suam sustulit. Debemus igitur realitatem in simplicem sui notionem, qua se ipsam mediat, reflectere. Haec abstracta realitatis notio est principium sui: operatio sive ἐνέργεια.

Nunc ad singulas trinitatis personas gressum flectimus.

De Deo patre idem valere quod de deitate ignota sive qua in se est dictum est, supra memoravimus.

b) Deus filius sive momentum discriminis qua discrimen.

Omnia, quae sunt et non sunt, secundum notionem creandi ab Erigena dividi, vel omnibus notum est. Vide de ea re exordium operis de divisione naturae. Haec notio maximi momenti esse incipit ubi jam in eo sumus, ut de filio, in quo Deus mundum creavit, tractemus.

Notione creandi, quae in religionibus Judaica, Christiana, Muhametana obvia est, haec duo continentur: primum, mundi fundamentum, causam, veritatem non in ipso posita esse, sed in spiritu absoluto; deinde, spiritum absolutum non in se ipso contineri et quasi concludi, sed in aliud-esse transire. Religiones, quae tam praeclarae et omnino verae notioni favent, certe magni aestimandae videntur.

Spiritus ille, qui mundum creat, num est necne? — Utrumque verum. Principium quidem aliquo-modo-essendi ipsum non potest aliquo modo esse; atque ita non est. Quatenus vero-aliquo-modo esse in se continet, est profecto. Hoc Erigena bene perspexit, quum Deum tanquam esse purum pronunciet. Est enim esse purum esse cogitatum sive indifferentia essendi et cogitandi. Hoc solo modo creatio locum habet. Hinc apparet quantopere falsi sint illi qui abstractionem ideae absolutae Erigenae vitio verterunt.

De identitate essendi et cogitandi, e qua sola creatio elici potest, conferri licet — quamquam tota Erigenae philosophia ea nititur — quae cap. 13. l. I. leguntur. Disputat ibi de Deo, qui non solum creator, verum etiam creatus sit. Quid enim crearet nisi semet ipsum? Hoc vel nomine ejus innuitur; eodem enim jure et a currendo et a videndo nomen traxit (a θεωρεῖν videlicet et θέειν). Videt enim omnia in se, nec enim extra se aliquid viderit, quum extra eum nihil sit. Item Deus currit sive transit in omnia, qui omnia se ipso implet. Visione quies currendo motus, status est mobilis et motus stabilis [1]). Haec autem duo, visionem dico Dei et cursum, idem sunt, quia sicut videndo, ita et currendo facit omnia.

---

1) Has voces e Timaeo esse depromtas constat. Etymologia quoque illa τοῦ θεοῦ ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν τε καὶ θέειν jam apud neoplatonicos Aristotelis commentatores reperitur.

Omnia quae sunt, (I, 41.) loco et tempore continentur; haec praecedunt omnia, non tamen tempore, sed notione sive intellectu. — Hinc sequitur principium aliquo-modo-essendi non ipsum, sed simplicem unitatem et indifferentiam esse debere. Si enim minus, (I, 16) non unum principium esset, sed duo vel plura a se diversa. Principium vero necessario unum est. Idem est principium ac finis, unde Graeci τέλος utrumque nominaverunt. Quum enim principium infinitum sit, non alium ejus finem reperire possumus nisi illud ipsum. Itaque necessaria quidem, sed subjectiva est consideratio, quae Deum finem esse aut principium praedicat; per se ipsum enim ἄναρχος et infinitus est. Deus igitur si se movet, ad se ipsum se movet. Motus (I, 72.) enim actio est; agere autem et pati idem; agens enim propriam patitur actionem. Actio igitur et passio tum idem sunt Deo, tum categoriae finitae sunt et in Deum non quadrant.

Sed si ita se res habet, quomodo Deus creator erit? Ut hanc solvat difficultatem, primum demonstrat Erigena creationem necessario esse aeternam. Si enim Deus praecederet creatione, tempore, non tantum notione, accideret ei, atque ita aliud extra eum poneremus, quod ipse non esset. Inde nec infinitus esset Deus nec principium simplex. Si vero creatio (i. e. actus creandi) Deo coaeterna est et coëssentialis, idem erit cum essendo sus. „Quum ergo audimus (I, 74.) Deum omne facere, nil aliud debemus intelligere quam Deum in omnibus esse, h. e.

essentiam omnium subsistere." „Nihil enim eorum quae sunt, per se ipsum vere est." „Deus solus per se vere est, et omne quod vere in his, quae sunt, dicitur esse, ipse solus est."

Deus igitur creator se ipsum creat, et creare ejus ipse est. Creare igitur in notionem Dei ad definiendam ejus essentiam recipiatur necesse est. Hoc esse Dei, quod cum creando ejus idem est, λόγος ejus sive sapientia est.

Quae quum ita sint, necessarium esse videtur ut cum duabus opinionibus in controversiam incidat Erigena, quae et ipsi et inter se quam maxime infestae videntur esse; antiquam dico philosophiam et religionem christianam. Quarum altera materiam Deo opifici opponit, altera e nihilo Deum mundum creare affirmat. Nihilo tamen minus videbimus Erigenam et Platonismum ita dissolvere, ut cum sua ipsius sententia prorsus faciant.

Quodsi putamus procedente philosophia necesse esse omnino evanescat et expellatur materiae notio, gaudere nos non infitiabimur tam acriter Erigenam eam impugnasse et ad nihilum redegisse.

In systemate ejus, quod omnibus viribus ad ἓν καὶ πᾶν tendit, per se clarum est ὕλην, e qua δημιουργὸς quantum potest bonum condat mundum, locum non habere. Sufficit eum demonstrare, quid ea notione, quae est materia, contineatur, et illico ad christianam accesserit doctrinam, quae Deum e nihilo mundum creasse profitetur. Neque tamen jam hoc acquiescit Erigena: quaerit, quid illud nihil sit, e quo Deus

mundum creaverit? — Jam dicimus quid sibi respondeat. Vidimus enim Deum, qua esse purum, idem esse ac nihil purum. Igitur ipse Deus nihil illud est, e quo mundum condidit, sive Deus e suo nihilo mundum fabricatus est.

Jam dicta sunt, quae dicenda erant: jam quo modo hae notiones inter se cohaereant et cur necessitate cogitandi flagitentur, ante oculos positum est. Non tamen fore ut omnino supervacaneum videatur confidimus, quod e libris Erigenae ipsis locos hanc rem spectantes accersemus. Id quod eo potest apparere convenientius fuisse factum, quo apud Erigenam nonnulli exstent loci, quibus aliae et a ceteris ejus doctrinae partibus prorsus alienae introducantur materiae definitiones; quod e nimia, qua Dionysium amplectitur Areopagitam, admiratione fecisse apparet, qui de materia quidem negligentius egit. Quamvis enim τὸ μὴ ὂν illam saepius pronunciaverit, tamen non semper materiem a corpore bene distinxit. Quod Erigena illinc ad se traxerit, id minus curamus, quum majoris nobis momenti esse videatur ea adscripisse, in quibus suam et propriam profitetur opinionem. De altera tamen opinione, si libet, confer I, 59.

Statim l. I, capitulo 48, hanc materiae Erigena proposuit definitionem: „nulla certa ratione definitur nisi per negationem. Negatur enim aliquid esse eorum quae sunt, quum ex eo omnia, quae creata sunt, condita esse credantur." Postea demonstrat materiem, quum absolute indeterminatum sit, ne sensu quidem posse percipi, sed sola ratione. De eo hoc loco conferas quoque quae

I, 58. leguntur. Non tamen haec materiae quaestio facilis est ad solvendum: multi (I, 58.) quaesiverunt, pauci repererunt. Difficultati gravitas rei respondit: „quid enim (ibid.) altius sit ratione considerandum post Deum quam informis materia, non video.” Si tantum materiae aestimationem est qui miretur, in animum revocet, id quod in materiae notione verum sit, Erigenae idem esse cum Deo. — Tum ita pergit philosophus noster: has Dei et materiae notiones eo consentire, quod utraque indefinitum prorsus et informe innuatur. Hanc autem similitudinem e contrario esse. Deum enim ita esse informem, ut omnem superascendat formam, materiem contra cujusvis formae esse privationem. — Facile apparet hanc privationem nihil aliud esse quam abstractionem nostram. Id quod ita innuit Erigena: (II, 15.) informitatem materiae non causam esse formae et essentiae et perfectionis rerum, sed privationem. Deum contra, non materiam, quamvis et ipse informis sit, omnium rerum et substantiarum definitarum esse causam. „Hoc enim (III, 9.), scilicet ipsi Deo ab alio veluti principio praeparata fuisse locorum temporumque spatia seu qualiumcunque quantitatum intervalla, quae sua diffusione impleret vel sua extensione solidaret — hoc de natura ineffabili atque superessentiali non solum dicere, verum etiam cogitare falsisque imaginationibus fingere et ridiculosissimum est et periculosissimum. Non alia mors rationalis animae turpior pejorque est quam talia monstra abominandaque idola de creatore omnium cogitare.”

Eodem capitulo auctor discipulo, quocum disputare se fingit, opinionem vulgarem tradit enunciandam, Deum scilicet informem materiam ex omnino nihilo creasse, quae operationis suae quasi exordium esset et a qua auspicium operandi sumeret. Non ita raro eadem respicitur opinio.

Materia si, quum privatio formae sit, immunitatem quandam et substantialem retinuit notionem, vel hanc Erigena ei adimit cap. 5. libri III, quum dicat ne privationem quidem formae posse eam definiri, quia in notione privationis notio habitus jam contineatur: quem tamen habitum non posse ante materiam cogitari.

Quum igitur nihil sit materia, jam christianam doctrinam verum affirmare repertum est, quae e nihilo Deum mundum creasse contendat.

Jam ad principium creationis considerandum passus dirigemus: ipsum illud cum nihilo, de quo mundus factus est, idem esse spero fore ut pateat.

Deum creare et Deum esse idem valere, supra demonstratum est. Hoc esse Dei, quod creat, filius ejus est sive sapientia.

„Pater principium omnium, in verbo suo, unigenito videlicet filio, omnium rerum rationes, quas faciendas esse voluit, primo quam in genera et species numerosque . . . . procederent, praeformavit."

Quodsi quid sit Deus filius quaerimus, sciamus oportet, quae sint illae rationes. Sunt autem causae primordiales, dicit Erigena (l. l.), quas Graeci πρωτότυπα, προορίσματα, θεῖα θελήματα,

ἰδέας vocant. Vides de mundo agi intelligibili (quo vocabulo et ipse utitur Erigena), de legibus sive systemate cogitationum, cujus realitas ipse mundus est. Causas vocat easdem, quia tum realitatem e se ipsis producunt, tum qua cogitationes sunt, 'esse suum peculiare non relinquunt. His verbis ipse dixit (II, 15.): „causa enim si vere causa sit, omnia perfectissime, quorum causa est, in se ipsa perambit effectusque suos, prius quam in aliquo appareant [1]), in se ipsa perficit; et dum in genera formasque visibiles per generationem erumpunt, perfectionem suam in ea non deserunt." Hae autem causae primordiales, quoad in verbo Dei conditae, aeque incomprehensibiles et infinitae atque ipsum verbum (II, 16, 17.). Spiritus sanctus solus cognoscit iisque superfertur et dominatur, quia eas in effectus traducit. Effectibus cognoscuntur, non qua in se sunt.

Conditio causarum primordialium in Verbo Dei, sicut et generatio ipsius Verbi, coaeterna sunt Deo (II, 20; aeternam mundi creationem filiique generationem uberius explicuit l. III, cap. 8. et sequentibus.) A tempore, si de his rebus agitur, omnino necesse est avertamus et sevocemus mentem. Simul Deus et filium genuit et mundum creavit; „verbum nunquam principium fuit sine his quorum principium est." (Animadvertas sodes non jam de mundo agi reali, sive de systemate cau-

---

1) Illud „in aliquo" non est materia quaedam, sed ipsum illud reale, in quo sive per quod idea manifestatur.

sarum primordialium.) Semper autem quum gignatur e sinu Dei verbum, semper in eo incommutabiliter stat. Pater cognoscit mundum in filio, et haec ipsa Dei cognitio creatio ejus est. Creat cognoscendo et cognoscit creando. Deus non postquam fecit cognoscit. *Intellectus omnium in Deo essentia omnium est.*"

Causae vero primordiales, quamvis in effectibus multiplicitatem gignant et diversitatem, in Verbo Dei sunt indiscretae (II, 22.), sive, ut verbis utar Erigeneis: informiter unitimque ac simpliciter. Libro II, 28. haec dicit: „rationes rerum, quas pater in se ipso, h. e. in filio creavit, in ipso unum individuum sunt." III, 1. „(in verbo Deo) unum sunt, et simplex unum, non ex multis compositum unum." III, 3.: „in ipsis quidem (sc. in causis primordialibus) summa est aequalitas ac nulla diversitas, in his vero (sc. effectibus) multiplex et infinita differentiarum varietas."

In hac sua identitate consideratae causae primordiales sive ideae, qua totum sunt, idem ac ipse Dei Verbum sunt. III, 9.: „Ac per hoc conficitur et ipsum verbum et multiplicem totius universitatis conditae principalissimam rationem *id ipsum esse* . . . Simplex et multiplex rerum omnium principalissima ratio dominus verbum est." Ibidem: „Simplex est, quia rerum omnium universitas in ipso *unum individuum* et inseparabile est, vel certe individua et inseparabilis unitas omnium dei verbum est. Multiplex vero . . ., quoniam per omnia in in-

finitum diffunditur et ipsa diffusio subsistentia omnium est."

Quia vero (III, 14.) est illud quod omnia nihilo creari dicuntur? — Ita nihilum quodammodo causa omnium esset, non ipsae causae primordiales, quae quum jam non haberent effectus, ne causae quidem essent. Itaque aut ipsae causae primordiales nihilum erunt, quod tamen non de privatione essentiae intelligendum foret, aut praeter verbum alia causa introducenda erit, quae nihil vocetur. „Nihil vero, quod causa omnium esset potius omnia nominandum esset."

Illa autem quaestio ferme eadem est atque haec: (ibid.) quomodo et aeternae in filio sunt causae primordiales et e nihilo factae? — Si nihil ponimus extra Deum, in errorem mundanorum relabemur philosophorum, qui Deo materiam opposuerunt informem ideoque cum nihilo eandem, a qua quasi auspicium sumeret operationis. Quodsi non extra, haud scio an intra Deum erit nihil, e quo causas crearet primordiales. Si hoc, nihil erit in Deo, ac proinde ipse Deus nihil erit. Ita res se habet, eo vero nihilo intelligendum est rerum esse, qua non in se realiter sunt, sed vi et potestate in verbo Dei subsistunt. Nec tamen hac resolutione acquiescit Erigena; si enim res in se ipsis factae, in verbo Dei aeternae sunt, non eaedem sunt qua in se ipsis et qua in Deo subsistunt. Hoc restat, ut cognoscamus non solum rerum effectus, sed ipsas causas primordiales qua in Dei verbo subsistunt, e nihilo creari. Ita rem ex-

pedit (III, 17 seqq.), Deum causas primordiales in iisque substantiam mundi aeternaliter ex se ipso in se ipso creare, quum propriam suam infinitatem, quae nihilo aequalis sit (III, 22.: „eo ergo vocabulo Deum vocari necesse est, qui solus negatione omnium proprie innuitur") ad definitionem et determinationem traducat.

Ita principium quidem mundi nacti sumus: nectamen quidquam amplius quam principium. Definitio et determinatio, si cognoscere avemus, *quid* tandem definiatur, semper Dei simplicitate et infinitate absorbentur.

Filius, qua potentia, contrariorum potentia est. Hoc ex ipsa potentiae notione sequitur; neque Erigena dubitavit aperte pronunciare. Percrebro (v. c. III, 5. 6. I, 74) Deum affirmat contrariorum et oppositorum esse unitatem. Sed profecto aliud est principium quoddam philosophicum abstracta notione ratum habere, aliud per illud concretam realitatem explicare. Posterius positum non licuit Erigenae per christianam doctrinam, qua nititur, quum haec personam esse Deum affirmet. Circumscriptionem et determinationem Dei resolvere nisus quidem est, non tamen omnino perfecit, quia ingenium aetatis, quo et ipse tenebatur, nimis reluctabatur. Sed magnum et memorabile profecto est, quod Erigena verum principium licet abstracte posuit. Cur non explicaverit, ejus rei causa in personalitate Dei reperiri diximus. Alia eaque haud minoris momenti ratio haec est: vidimis enim Erigenam mundum apparentem in ejus in-se-esse sive potentiam reflexisse. Haec autem potentia non jam

vera est, quia non indifferens est, sed notione eorum, quorum potentia est et qua ipsa jam nota sunt et determinata, determinatur. Ita potentia in virtutem, i. e. potentiam realiter determinatam, transit. Virtus est pars positiva potentiae sive possibilitatis. Quodsi Erigena conatur systema condere causarum primordialium, patet hanc positivam tantum earum notionem fieri posse ut recipiat. Quod ad negationem, eam non concretiori et determinatiori adhibet sensu quam quod Deum has causarum primordialium notiones non solum esse, sed etiam superascendere affirmat. Quamvis magnam igitur Erigena causarum primordialium habeat existimationem (vocat eas autem „rerum omnium principia . . . , rationes, secundum quas ordo omnium rerum a summo usque deorsum texitur," II, 36): nos vix aeque bene de iis sentiemus. Videamus earum definitiones: (III, 1; confer. II, 36) „per se ipsam essentia, per se ipsam vita, ratio, intellectus, sapientia, virtus, beatitudo, veritas, aeternitas." Tum pergit ita. „Eadem ratio est de magnitudine . . . . et perfectione. *Sufficiunt haec.*" — Facile apparet nullam in enumeratione horum principiorum esse necessitatem et determinationem. Neque in ordine eorum componendo multum sudavit, sed valde liberaliter egit: dixit enim in causis primordialibus non jam realiter inesse ordinem, sed solâ potentiâ: unde „ordo . . . juxta contemplantis animi arbitrium constituitur." Nihilo tamen minus sensit auctor ordinem et principium divisionis in causis primordialibus desiderari: conatus quidem est ordinem

quendam introducere ita, ut de generalioribus descendat ad specialiora. Bonum dicit (III, 2. 3.) genus esse essentiae et non-essentiae (i. e. plus quam essentiae); essentiam rursus genus esse vitae et non-vitae; vita item complecti rationale et irrationale. Sed ne hoc quidem ad finem perduxit.

Postquam igitur principium quidem differentiae in filio reperimus, non tamen ipsam differentiam: jam necesse est inquiramus, numquid per spiritum sanctum ad ipsam perveniamus differentiam realem.

3. De Spiritu sancto.

Si nos hodie dogma trinitatis quale se ipsum per historiam explicavit, uno quasi contuitu amplectimur, spiritum sanctum in illa id reperimus esse momentum, quod ideam divinam in singulis stabiliat sive ideam ad singularitatem promoveat. Hoc ipsum apud Erigenam locum habere jamjam cognoscemus. In notione singularis haec duo latent momenta: primum, singulare e contrario oppositum est universali, unde fieri potest, ut singulare sese ab universali quasi divellat ab eoque discedat (origo mali); tum universale, in gyro particularium quasi sparsum et distentum, in singulari se ipsum quasi recipit, estque singulare universalis existentia.

Has notiones in mentem revocare libuit, ut quae dicturus fui, melius futurum esset ut intelligerentur.

Jam apparet posse quidem spiritum sanctum ea in realitatem perducere, quae in idea quatenus in se est praeformata et quasi detenta ja-

cent: imo hoc ipsum notione spiritus sancti flagitari supra demonstravimus, ubi de notione trinitatis disseruimus. Illam tamen alienationem universalis a se ipso non posse spiritui sancto attribui aeque cuique patet, quia potentia mundi non vera, i. e. indifferens potentia est. Mundus igitur quem spiritus sanctus e causis producet, finitus et circumscriptus non poterit esse, h. e. ipse quoque intellectualis quidam mundus erit. Id quod simulac de mundo disputabimus considerabimus accuratius. Nunc de notione spiritus sancti propria tractandum est.

Spiritus sanctus quum ἐνέργεια sive operatio sit (id quod supra demonstratum est), singularitatis notione comprehenditur. Non ipsum singulum spiritus est sanctus, sed operando singula producit: sicut et notio singularitatis, qua notio, universalis est.

Si pater universale est omnino indefinitum filiusque orbem causarum particularium in se perambit, jam spiritus sanctus (II, 22.) distributionem sive divisionem sibi praesumit. Hoc ita facit, ut operando easdem categorias efficiat, quae summis principiis continentur; (II, 22.) „ea quae simpliciter in verbo Dei facta sunt, per differentias generum, formarum . . . . numerorumque omnium spiritus sanctus distribuit." Numeri apud Erigenam semper singulos sive singula significant: quo sensu et ἀριθμοὶ apud Aristotelem aliosque legitur auctores. Item immediata rerum singularum conditio spiritui sancto adsignatur. Sexcenties causarum in verbo Dei conditarum affectus a spiritu sancto legitur produci.

Quid quod avi adsimilatur, quae ova fovet, ut intima vis, quae in eis latet, in formas visibilis erumpat. Haud minus idonea ad significandam spiritus sancti notionem similitudo est ab artifice promta (quae v. c. III, 5. legitur): sicut artifex non tempore sed notione praecedit artem haecque rursus iis quae per eam fiunt, ita pater et filius et — mundus seriem quandam processionis efficiunt. Per se patet mundum fuisse positum loco spiritus, qui ejus est principium. Conferas etiam exemplum, quod de numeris Erigena mutuatus est (v. c. III, 11.). Monas est principium omnium numerorum; deinde in ea omnes causaliter sunt, quia omnes in ea sunt individuum simpliciter, hoc est universaliter, et multipliciter sola ratione; denique omnes ex ea numeri multiplicatione producuntur, ita ut actu et operatione existant, et dum ex ea profluunt, non desinunt potentialiter in monade restare. E monade exeunt, et per ipsam monadem moventur et in monadem desinunt; in eam enim resolvuntur. Igitur quum a principio incipiunt, ab ipso fine possunt dici incipere; et quia infiniti sunt numeri, et finis infinitus est ideoque et principium.

Ne tamen ipsi in infinitum feramur, jam ad alium locum transimus. Notum enim est Graecam a Latina in hoc differre ecclesiam, quod haec in symbolum famosum illud „filioque" intruserit, ut jam a duabus personis divinitatis tertia videatur exire.

Mirum illud synodi Toletanae facinus levi ironia Erigena attingit; II, 33.: „siquis sanctos patres, qui in Latino symbolo addiderunt de

spiritu qui ex patre filioque procederet, consuleret, rationabiliter ut credo responderent, et causam ipsius additionis non tacerent; et fortassis consulti sunt et responderunt. Sed quid eis visum est de hac re, nondum in manus nostras pervenit." Ipse theologicas evitans disputationes statim rem ad philosophiam redigit his verbis: (II, 31) num fieri possit, ut quidquam e duobus oriatur principiis. Negat hanc quaestionem inductione utens: non facile dicit occurrere rationi, ut de duobus quidquam proficiscatur, dum de uno omnia creantur. Inductione in his rebus necesse esse ut utamur: quomodo enim de trinitate, tam sublimi re et incomprehensibili, quidquam affirmare valeamus, nisi quibusdam grandibus ducti exemplis, quibus illa naturam suam manifestet? Exempla non attinet enumerare. Satis est commemorasse, a patre quidem et filio gigni et spiritum procedere demonstrare Erigenam, ita tamen ut spiritus filio utatur quasi mediatore: „a patre igitur per filium spiritus sanctus procedit." Ita vel in dogmatum controversiis semper rei notio Erigenae ante oculos observata est.

Creationem ita esse intelligendam, ut se ipsum Deus creet, jam vidimus. Sed numquid haec Dei creatio in causis tantum primordialibus locum habet, non in singulis creatis, qua realiter exsistunt? ita, ut opera spiritus sancti a Deo sint diversa? — Ne illud quidem. Id quod nunc considerabimus.

Si ita, nonne horribilis inde oritur consequentia, (III, 10.) Deum esse omnia et omnia

esse Deum? — Proposuit Erigena hanc quaestionem, eamque affirmat simpliciter, et ut hoc naturalibus exemplis approbet operam dat: „his enim non facile quisquam resistet nisi nimia stultitia obcaecatus fuerit." Ac primum quidem numeros accedere jubet, III, 12.

Deinde ad voluntates Dei transit (III, 17.). Sunt autem hae ipsae quae alibi causae vocantur primordiales. Demonstrat eas idem esse atque quod per illas producitur. Si enim aliud, non jam productum esset id quod voluisset Deus. Quum autem Deus, qui vult, idem est ac voluntates, (non enim aliud voluerit quam se ipsum), sequitur idem esse et Deum et voluntates et omnia, quae voluntatibus producit. „Deus igitur se ipsum fecit, si non extra ejus naturam suae voluntates sunt, et non aliter videt suas voluntates et aliter quae fecit, sed ut suas voluntates videt quae fecit. Et si ita est, quis de aeternitate omnium quae facta sunt in Deo dubitaret, quando non solum facta et aeterna, verum etiam Deus intelliguntur?"

Quum discipulus, quocum Erigena se disputare fingit, tam horrendam conclusionem non jam animo susceperit, eandem rem magister pluribus persequitur (III, 17.). Quae valde curiosa sunt ad legendum, quia in iis auctor tam aperte sententiam et tam acutis nisam argumentis stabilivit ut vix de ea dubitationi locus detur. His verbis ei finem imponit: „si vero non aliud est divina bonitas et aliud quod in se ipsa vidit faciendum, sed una atque eadem est natura, cujus inviolabilis est simplicitas et inseparabilis uni-

tas, profecto dabitur omnia ubique dominum esse et totum in toto . . . . et ut simpliciter dicam, omne quod vere est . . . super omnem creaturam creator et intra omnem creaturam creatus et infra omnem creaturam subsistens, a se ipso esse incipiens, et per se ipsum se ipsum movens et ad se ipsum motus et in se ipso quiescens, per genera et species in seipso in infinitum multiplicatus, simplicitatem suae naturae non deserens, et multiplicationis suae infinitatem in se ipsum revocans. In ipso enim omnia unum sunt." Ibid.: „Proinde non duo a se ipsis distantia debemus intelligere dominum et creaturam, sed unum et id ipsum. Nam et creatura in Deo est subsistens et dominus in creatura . . . creatur se ipsum manifestans; invisibilis visibilem se faciens et incomprehensibilis comprehensibilem et occultus apertum et incognitus cognitum . . . . et infinitus finitum, *neque hoc de incarnatione verbi et inhumanatione dico*, sed de summae bonitatis, quae unitas est et trinitas, ineffabili condescensione in ea quae sunt ut sint, imo ut ipsa in omnibus sit . . . ."

Ita Erigena processionem manifestationis, quae idea Dei continetur, per omnia ejus momenta persequutus est. Mundum nihil esse nisi Dei apparitionem jam nunc manifestum est. Notio se ipsa ad realitatem perduxit. Jam realem mundum ipsum considerabimus: quod secundae hujus libri particulae reponimus faciendum.



